



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis
Dissertationes**

Conring, Hermann

Helmestadii, 1674

Svpplementvm LXXI. Ad pag. CXLIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

restitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum: notaque infamiae eis ipso jure irrogandâ, dignitate sua se carituros in perpetuum. Verumtamen si litem eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit: hujus rei optione data Scholaribus, eos coram domino, vel magistro suo, vel ipsis civitatis Episcopo, (quibus hanc jurisdictionem dedimus) conveniat. Qui vero ad alium judicem eos trahere tentaverit, etiam si causa justissima fuerit, à talè conamine cadat. Hanc autem legem inter Imperiales Constitutiones, scilicet sub titulo *Ne filius pro patre, &c.* inseri jussimus. Dat. apud Roncalias, anno Domini 1158 mense Novembri. Haec. nus Authentica isthæc. In qua non nisi de perquam paucis agi liquidum est, si verba spectemus: & tamen, quod meritò mirere imò improbes, solent vulgò tantùm non omnia Academicarum privilegia ab interpretibus quibusdam hinc exsculpi; quorum tamen pleraque longo pòst tempore demum & per partes sunt instituta. Enimvero laxis illis interpretationibus, me quidem judice, verus Authenticæ sensus pene interiit. Sed & cum Privilegia sint stricti juris, non est fas isthæc ultra verborum præscriptum extendere.

SUPPLEMENTVM LXXI.

Ad pag. CXLIV.

Securitatem adeundi loca, in quibus litterarum exercentur studia, utque in iis secure possint habitare, non Scholaribus duntaxat peregrinantibus, sed etiam & quidem maxime divinarum humanarumque Legum Professoribus, nec non eorum nunciis, jam tum in hac Authentica indulserat Imperator. Itaque hactenus par omnium horum est ratio. Dixeris tamen haud abs ratione, ad solos omne hoc peregrinantes pertinere, non autem etiam ad eos qui nati in locis literarum studio consecratis ibidem in patria suâ literis dant operam: quibus nempe jam tum per ordinarios magistratus satis fuit cautum,

cautum, nec proinde similia cum peregrinantibus pericula fuerunt metuenda. Non porrò ad omnis doctrinæ sed solos Legum Professores & Studiosos Authentica hæc spectat. Id quod non est quod miremur ; quandoquidem isthac tempestate non tantum non Bononiæ, sed nec alibi per universas imperii terras aliud quoddam doctrinæ genus in Scholis doceretur : secus quam Parisiis & in Britannia obtinebat.

Quod forum attinet, de solorum Scholarium litibus aliquid sub finem Authenticæ est constitutum : nec videtur trahendum hoc etiam ad Professores. Disertè enim solis Scholaribus data est fori optio : nec Professorum aliquis habuit magistrum coram quo potuerit conveniri. Vero simile mihi est, Professorum causas ad forum Ecclesiasticum ordinarium tunc pertinuisse, quandoquidem jam tunc temporis Professores clericorum fuerunt ordini accensiti. Quæ res deinde in quam multis locis plurimum mutavit.

SUPPLEMENTVM LXXII.

Ad pag. cxliv.

DE permissa optione Legum, iam tum seculo nono in Italiam introducta, diximus latius *l. de Origine Juris Germanici cap. 20 pag. 107.*

SUPPLEMENTVM LXXIII.

Ad pag. cxlv.

VT liqueat optionem fori etiam olim alias fuisse in usu, adferemus hoc loco doctissimi & Juris quoque prudentissimi scriptoris Jacobi Gothofredi Dionysii F. verba quadam ex illo elegantissimo commentariolo, quem seorsim ad Leg. Si Barsatoram 13 Cod. de Fidejussorib. conscripsit. Optioni, inquit, præventionig, locus olim esse quandoque poterat, sive in transmittendis reis à municipali magistratu, ut *h. l.*, sive in vindicandis ab uno diligentiore è pluribus judicibus competentibus, sive etiam